IN OBITVM ROMVLI PARADISI I· V· D·

POETÆ PRÆCLARISSIMI,

Et in vtroque Eloquentiæ,& Doctrinæ genere præexcellentis, à Secretis insignis

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

RVPERTI VBALDINI

S. R. E. CARD. AMPLISSIMI FAMILIARIS.

ORATIO.

IOANNIS SVPERANTII

Q. Iacobi Aduocati filij, Presbyteri, Philosophi, Iurisconsulti.



Ad eundem Illustriss. ac Reuerendiss. Principem

CARD· VBALDINVM·



ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Mascardi, MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Hieracen. Vicesg.

Imprimatur, Fr. Vincentius Martinellus Socius Reuerendissimi P. F. Nicolai Rodulfij Ord. Præd. Sacri Apostolici Palatij Magistri.

ILLVSTR.MO ET REV.MO PRINCIPI
RVPERTO VBALDINO
S. R. E. CARD. AMPLISSIMO.





OLOREM, quem percepi maximum ex immaturo discessu Romuli Paradisi à secretis familiaris tui, Cardinalis amplissime, toti Aulæ chari, & tibi certè quidem charissimi, tùm lacrymis, cùm publica, quamuis eneruì oratione testatus sum. Lacrymas, non ab animo, sed ab oculis abstersi, ne instar fœminarum amico dulcissimo profectum ad sui conditorem inuidere viderer. Orationem edidi, illustrissimoq. nomini tuo nuncupaui eo consilio, vt terrarum orbis intelligat me cum Romulo tuo arctissimo amicitiæ vinculo coniunctum fuisse, vt habeat seruitutis meæ, obseruantiæ meæ, obsequij erga te mei certissimum argumentum, atque præclarissimum testimonium. Quod meum est, confeci; quod tecum est, confice, Princeps Illustrissime. Quod effeceris, si hilarem munusculo manum porriges. Quamobrem ego amplitudini tuæ maximas gratias agam, ac veluti beneficium eximiæ benignitati tuæ acceptũ referam: plurimumq. tibi debebo, (dicerem, si partes Paradisi insignes mihi essent, si in locum Paradisi me subrogares.) Singulari tamen munificentiæ tuæ plurimum, inquam, sanè debebo, si partem illius beneuolentiæ, qua Paradisum humanissimè amplec-

tebaris, mihi vmbra Paradisi concesseris. Hoc vnum à celsitate tua loco summi beneficij vehementer exposco. Quod accrescas velim tutela, in quam me excepisti, vt Illustrissimo, atque excellentissimo Principi Petro Marchioni Guicciardino tutelari meo gratum faceres. Deus ter maximus S. R. E. ac optimis omnibus diu te incolumem seruet, vt, vnde admirabili quidem prudentia velis ventos excipis, vt omnis Gallia testatur, ne ventorum furor nauiculam demergat, clauum teneas, atque tractes. Vale. Romæ IV. Kal. Februarij MDCXXIII.

Illustriss. ac Reuerendiss. Dominat. tuæ

Seruus deditissimus

Ioannes Superantius.

IN OBITVM ROMVLI PARADISI ORATIO.



VOTIES excogito Romulum Paradiſum extinctum, viri præſtantiſſimi, auditores prȩclariſſimi, quoties, inquam, excogito Romulum Paradiſum immatura morte nobis præreptum mœrore conficior, lacrymiſq. debilitor adeo, vt veluti Aegeria illa de qua Poetæ fabulantur, mihi videar in vberrimum lacrymarum fontium commutatus, & in ſuſpiria, acerbiſſimoſq. ſingultus reſolutus. Mirifice ſanè diligebam Paradiſum, perpetuòq. diligam amici chariſſimi, atque dulciſſimi commemorationem quamſæpiſſimè faciens, hac tamen differentia, quòd dum ipſe hac lucis vſura fruebatur, illius familiaritas mihi erat ſummæ delectationi, modò quòd animam reddidit conditori Deo, ſuſcepti damni commemoratio, imò ſuſcepti vulneris refricatio animũ perpetuò excruciabit. Neque redarguendus quippe ſum, auditores, neque vllus veſtrum, qui adeſtis, neſcit hominem. Ea ſanè erat Romuli Paradiſi modeſtia, affabilitas, vrbanitas, ac omnium plena officiorum humanitas, vt quem ſemel

mel

mel conueniebat, perpetuò optimæ familiaritatis nexu ſibi deuinciret. Proh dolor: Roma Romulo expoliata: Paradiſus ab aula ereptus. Fateor, auditores, frequentem conſpectum veſtrum mihi ſemper fuiſſe iucundiſſimum, hunc locum ſemper ad agendum ampliſſimum, ſemper ad dicendum ornatiſſimum, ſed huc nihil niſi ſuaue, huc nihil niſi floridum, & gratum, huc nihil niſi quod animos exhilaret, menteſq. recreet, afferri oportere. Quod mihi quidem eſt acerbiſſimum, cùm mihi dicere conſtituerim, quæ vos męſtos, ac triſtes efficient, ſi iacturæ magnitudine quid amiſſum ſit, quid deperditum ſimul vnà rectè ponderabimus. Neque iniuria hoc dico, viri clariſſimi. Etenim dum video fixas in mei intuitu oculorum veſtrorum acies, omniumq. veſtrum vultus in me conuerſos, intelligo vos huc conueniſſe ad lugendum potius, quam ad ridendum edocti meliùs eſſe ire ad domum luctus, quoniam ſicuti extrema gaudij luctus occupat, ita è conuerſo extrema luctus gaudium concomitetur oportet, dicente Domino: Vos flebitis nunc, ſed fletus veſter conuertetur in gaudium. Auditores, tempus flendi, tempus flendi. Singulare enim vere amici officium eſt dare amico, quæ amico debentur. Amico, & chariſſimo quidem, & digno profectò, qui nunquam occubuiſſet, parentamus. Lacrymis ergo, & laùdibus parentandum. Ego ſanè vberrimas lacrymas ex his oculis effudi, teſtes habeo ſuauiſſimos amicos viros omnibus numeris abſolutos, & in legali prudentia iuriſconſultos optimè eruditos. Petrum Franciſcum Martellum

Fir-

Firmanum patricium , qui in paternis ſcholis frequentiſſimo auditorio Cæſareas leges publicè interpretatus eſt . Tiberium Vulpianum virum Recanatenſem de optima adminiſtrādæ Reipublicæ ratione rectè dijudicantem. Vrſinum Cardinum virū ſplendidum,liberalem, munificum,inter à ſecretis nemini ſecundum, & Romulo, à quo accepit præcepta rectè componendarum epiſtolarum; valde ſimilem, Amicum,& gratum ; quippe qui ægrotantem hominem mira ſanè charitate inſomnis curauit, ingenti animo lacrymas continuit , vt ad perhorrendum certamen properātem ſolaretur extremo amici officio functus. Tumulum, in quo honoratum cadauer repoſuit; ære proprio comparauit,miramini ? Quid ? Cardinus Paradiſum ipſiſſimum refert. Cur? Paradiſus intet Cardini labia animam efflauit . Decium denique Diſcretum in perſcrutandis aſtrorum arcanis virum Primarium. Hodierna die ad horam breuē claudam lacrymarum riuos,omnemq. luctum comprimā,vt coram vobis omnibus in tam ſingulari conuentu alterum conficiam, vt ex iuſtis Paradiſi noſtri laudationibus, atque præconijs cognita hominis pręſtantia non adeptam ab eo fœlicitatem deploremus, ſed vt de iactura,quam fecimus,acerbiſſimè doleamus. Vos,ſi in aliquo debitis laudibus demortuum amicum fraudabo, veniam dabitis. Conabor enim aures veſtras non defatigare, vt quod auditui veſtro dempſero, lacrymis adiungatis.Inter lugendū tamen mihi lætandum eſſe iure video, quod in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, cauſa talis oblata eſt, in qua oratio nemini

mini deesse potest. Dicendũ enim est de Romuli Paradisi vita functi singulari, eximiaq. virtute. Huius autẽ orationis difficilius est exitum, quam principium inuenire. Itaque non mihi tam copia, quam modus in dicendo quærendus est; & præsertim apud vos, viri præstantissimi, quorum aspectibus vehementer commoueor ob ingenij mei defectus, ne mihi dicenti iniuriam inferant, est quod vehementer pertimescam. Memoria, & eloquentia mihi quidem opus est, sed vtraque destituor. Quare fit, vt quæ aduersa cum non sunt præsentia, minus noceant, hęc mihi, quia non adsunt, sua absentia magis officiant. Neq; ita animo deciderem, si quæ summa, & excelsa vigent in vobis, in me infima non essent, vel saltem apparerent mediocria. Quid dubitas Ioannes? Habes humanissimos auditores: non verborum copiam spectabunt, intelligũt enim te non prope quotidiana dicendi exercitatione communitum; sed auctoritatis tantum tibi dabunt; quantum in tam percelebri consessu honoribus man dandum esse voluerunt. At, vt inde oratio nostra proficiscatur, vnde occasio descendendi in hanc arenam ducitur; dicam: Audistis Romam suo Romulo expoliatam, Paradisum ab aula ereptũ. A quo? ab eo, quod

Aristot. Phisicorum 3. est omnium terribilissimũ ab immatura morte, quæ, si rectè cõsideramus, malum non est, quid sit quæris,

Seneca ad Lucillum epist. 115. sola ius æquum generis humani. Vnde Poeta:

Agricolas Regi, mors sceptra lingonibus æquat.

Nec ideo nobis deflendũ est, quippe quod, vt Chry-

Super Matt. cap. 1. sostomus scriptum reliquit, Mors munus necessarium est naturæ iam corruptæ, quę fugienda non est,

ſed potius amplectenda, vt iterum fiat voluntarium quod neceſſarium futurum eſt. Impoſſibile tamen eſt, vt euitemus æternum ſomnum, diſſolutionẽ corporum, diurnum pauorem, pauperum deſiderium, ineuitabilem euentum, peregrinationem incertam, latronem hominis, ſomni patrem, vitæ fugam, viuorum diſceſsionem, & reſolutionem omnium. Mors enim omnia ſoluit.

Secundus Philoſophus ad Imperat. Adrianum.

Auth.denup. lib. 1. C.ne ex deli. c. priuile. de reg. iur.in 6. Ad Hebr.c.4 Pſal.38.

Soluitur omne decus letho, viresq. per artus
Et Stigius color, formę populatur honores.

Cicero Tuſculan. 2.

A natura ergo nobis datum eſt, vt moriamur quamobrem formidoloſa mors non eſt, neque metuenda, cum euitari non poſſit, & qui eam metuit is viuere animo quieto nullo modo poteſt. Sed qui non modo, quia neceſſe eſt mori, verum etiam, quia nihil habet mors, quod ſit horrendum, mortem non timet, magnum is ſibi præſidium ad beatam vitam comparat. Quod optimè Paradiſus noſter ſentiens illud vitæ genus inſtituit, ac ſibi delegit, quo non ſolùm in hac ærumnoſa vita inter cæteros homines beatus videretur, verum etiam ad cæleſtem patriam cæteris expeditior, atq. beatior properaret, cur ergo lugendum? cur lacrymandum? quid denique diflendum? Abſit quod lugeamus hominem mortuum. Argumentum potius inuidentiæ eſſet, quam commiſerationis. Etenim enimuero omnem exuit calamitatem, & omnes aduerſitates ponit moriens, quem benè acta vita præceſſit. Vnde Mantuanus ille noſter vatum omnium princeps in Georgicis ſcriptum reliquit.

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq. senectus
Et labor, & diræ rapit inclementia mortis.

Deploranda tamen damna sunt, quæ ex optimorum interitu in orbem terrarum emanant. Deplorandum quidem nobis est, lacrymis studendum, non quod Paradisus obierit, sed propterea quod duplex Paradisus nobis eripitur, & corporeus, nempè, & spiritalis. Vtrunque Paradisus noster referebat, quod apertissimis verbis fateamur oportuerit, vbi primum cognouerimus maximum illud beneficium, quod in sua creatione accepit homo ab ipso rerum omnium conditore Deo Optimo maximo, , & vbi dixerimus quam vitam ab infantia vsq. in extremum diem Romulus noster egerit.

Non aniles vobis referam fabulas, quas tanto studio, atque diligentia prisci vates effinxerunt. Mittamus ergo Promethęum illum Iapeti filium, quem ferũt poetę primum hominis simulachrum formasse ex luto, deinde ex cęlo arepto igne opus manuũ suarũ animasse; Deucalionem mittamus quoque, quem dicunt vna cùm vxore Pirrha velatis capitibus post terga materna ossa, hoc est, lapides iactasse, ex quibus natos homines, ac genus humanum propagatum esse veteres somniarunt. Etenim enim verò poetis explanandum erat qui primus Deucalionem Tesaliæ Regem procreasset, & Iapetum Promethæi parentem ædidisset. Silentio prætereamus velim Ægyptios, qui propter aeris serenitatem, soli, & aquarum fæcunditatem, & perennitatem, quæ multa

suapte

ſuapte natura, producit, & generat, primos apud ſe homines originem habuiſſe confirmant. Denique prætermittendum operæpretium eſſe duco ridiculas philoſophorum ſententias, qui elementa inter ſe caſu quodam coeuntia homines produxiſſe probare conati ſunt.

Hęc omnia profectò ſcurrilia ſunt atq. inania. Dicendum igitur Deum optimum maximum, qui cælum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, condidit hominem feciſſe. Tũc cum dixit Deus faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Geneſ. 1. Magnum quidem opus eſt homo, quia eſt opus manuum Dei, & quoniam factus ad imaginem, ſimilitudinem Dei optimi maximi. O admirabilis ſimilitudo! ò ingenioſum, & ineffabile opus! O incomparabilis actio, ad quam conficiendam tota euocatur Trinitas! faciamus, ecce perſonarum trinitas, dixit Deus, ecce ſubſtantiæ vnitas; non imaginem, ſed ad imaginem; quippè quod Verbum Æternum Patris æterni vnigena ſolus eſt imago patris, quia cum per generationem ab eo procedat, eãdem habet omnino cum patre ſubſtantiam, quod nullis rebus creatis vnquam communicari poteſt. referre aliquid imaginis, & diuinæ ſimilitudinis homini denegatum non eſt, atque ideo dictum eſt faciamus, dixit Deus, hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Non ſuperuacanea ſunt hæc nomina, non ſynonima, at vnaquæque ſuum habet myſterium. Imago enim refert multiplices naturæ intellectualis D. Tho. p. 1. q. 93. art. 9. proprietates, ſimilitudo vnitatem in aliqua re con-

 uenien-

uenientem præmonſtrat. Proinde ſimilitudo cum imagine comparatur, vel in eo, quod imaginem præcedat, eaq. communior ſit, vel vt tandem ſubſequitur. Etenim enimuero ſimilitudo accepta, vt in priori membro, latos habet fines, multiq. plures quam ſolius animæ rationalis proprietates complectitur. Incorruptibilis quidem animus noſter quod æternus ſit, & incorruptibilis ad ſimilitudinem Dei dicitur factus, ſed non ad imaginem proprie id referendum eſt. Incorruptibilitas enim non eſt ſolius animi propria, ſed alijs quoque rebus creatis conuenire compertiſſimum eſt. Imago verò duntaxat ſecundum naturæ intelligentis proprietates excogitatur nempe ſecundum intellectum, voluntatem, & memoriam, & liberi arbitrij poteſtatem, ſecundum quas humana natura in gradu intellectuali naturæ diuinæ valde ſimilis ad imaginem Dei propriè cõdita eſt. Si verò in poſteriori membro oculos conijciamus, proculdubio vis huius dictionis expreſſiorem perfectioremq. ſignificat imaginis conditionẽ, quippe quæ exemplar, diuinam ſcilicet naturam, vnde ipſa deſumpta eſt, verius expreſſiuſq. ob oculos ponat quam aliarum rerum: quæ creatæ fuerunt, veſtigia. Homo enim eſt numiſma quoddam diuinum, in quo Deus optimus rerum opifex ſui ipſius imaginem impreſſit. Sed vbi imago hæc, & ſimilitudo? in anima, quæ etſi vna ſit, tres tamen habet potentias, quæ ſunt vna anima, ſicuti tres perſonæ, Pater, Verbum, Spiritus sãctus vnum ſunt, ſcilicet vna ſubſtantia ſimpliciſſima, & puriſſima, quę veraciter eſt

C. 1. de ſumma Trinit. & fid. Cath.

Pa-

Pater, eſt Filius, eſt Spiritus ſanctus, ſed non eſt generans, non genita, neque procedens, ſed eſt Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; Spiritus ſanctus, qui procedit, vt ſit diſtinctio in perſonis, & vnitas in natura. Quare animus noſter in ſimplicitate, & puritate ſubſtantiæ atq. in eius æternitate vnus exiſtens & in potentiarum trinitate vni Deo, & trino, aliqua ex parte reſpondens Deo ſimillimus conditus eſſe videtur. Quod ſi animam & corpus ſimul coniũxerimus, ad imaginem Diuini Verbi, quod carni vniendum erat, hominem factum eſſe dicamus operæpretium eſt. Nam ſicuti ex Deo & homine vnus Chriſtus conſtituitur, ita ex corpore, & animo vna hominis perſona coaleſcit. Ac quemadmodum duplex natura incorruptibilis altera, altera morti obnoxia miro Dei artificio in prima hominis conſtitutione coniunguntur, ita duplex natura diuina, ſcilicet, & humana in Chriſto Domino inexplicabili Diuinæ Trinitatis myſterio connectuntur, & copulantur.

Egregia quidem præ cæteris Diui Ioannis Chriſoſtomi ſententia eſt, hominem totum ad imaginem Dei, & ſimilitudinem ideo factũ, quod in eo reluceat diuini principatus imago, & ſuper cæleſtis imperij proportio. Quod enim Deus eſt in cælo, homo eſt in terris ſecundum principatum, cælum cæli Domino, terra autem dedit filijs hominum Regius Vates Pſal. 113.
decantauit. De qua re nemo compos mentis eſt, qui ambigat, cum ſacer textus affirmet ideo hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei fabricatum fuiſſe, vt præſit cunctis animantibus, quæ ſub cælo ſunt, Geneſ. 1.

nam

nam ſicuti in cælo nullus Deo ſuperior eſt, ita in terris nullus ſuperior eſt homine. Factus etenim eſt homo, vt ſecundus præſes poſt Deum, ſi Deo obtemperauerit, imperet mundo. Nec ideo cogitent priuati homines in ipſis hanc Dei Principis, & Regis imaginem ennitere; propterea quod etſi reges nō ſumus ſicuti ſunt Galliarum Reges, Venetorum Duces Sereniſſimi. Cæſares, & Auguſti, & ſanctæ Romanę Eccleſiæ proceres Cardinales, ac ſummi Pontifices, quos Deus munificentiſſimus, ac liberaliſſimus dominandi poteſtate auctos ſibi ſimillimos facit, & tanquam Deos nobis, & cæteris omnibus præficit, habemus, & ipſi quid regamus, & quibus imperemus, ſi nobis ipſis imperare voluerimus. Magnum profectò regnum intra nos habemus, quod vt iuſtitia, & conſilio gubernetur, ius ſuum vnicuiq. tribuēdum eſt. Inferiora ſuperioribus regantur oportet, ima ſummis obtemperent, vitia virtutibus ſubiaceāt, ratio ſenſus refrenet, ſuperior animi pars inferiores ſubigat, donec recta viuendi norma ſeruata ad altiora immortalis vitæ regna omni carentia contradictione, & bello Deo propitio perducamur. Hunc rerum omnium productarum præſulem hominem formauit Dominus de limo terræ, admirabiliterque exculpſit, formauit, inquam, ſi quidem forma eſt rerum perfectio, quippe, quod omnia è manu Dei perfectiſsima effluxerunt. Formauit, inquam, non propriè creauit, ſed formam induxit in limum terræ, & hominem, & quaſi omnem rem formauit. Porrò in homine omnia continentur; quoniam homo

mo

mo est verum omnium compendium, quamobrem Græci hominem microcosmon, hoc est paruum mundum appellant, & idcircò sexta die plasmatus vt in quodam breuissimo epilogo, ea omnia, quę anteà Deus condiderat, continentur. Quam admirabilis Deus in operibus tuis. tu quidem sublimem animam ad tui imaginem factam cum infima adeo materia vnis, & ligas, quid anima in vniuerso orbe nobilius excogitari potest, & sublimius? quid limo ignobilius, & vilius? sed quo ligamento? eo quod Plato ignem caloremq. nominat, alij aereã, & æternam substantiam dixerunt rectius, Aristoteles nonnunquam calidum spiritum, & calorem naturalem vocat. hic quidem spiritus est illud ligamentum, quo anima cum corpore iungitur, quod est quædam media natura, quæ consentit cum limo, & cum anima quoque necessitatem habet, cuius idonei medij, & illustris substantiæ interiectu naturæ quam maxime dispares animus scilicet, & corpus societatem ineunt coeuntq. Spiritus enim hic vtrique extremo familiaris, & accommodatus est, cum etenim non sit prorsus sine corpore, crasso quidem corpori inseri potest, cum vero tenuior splendidiorq. sit, potest cum anima coniungi, sic veriusq. quodam modo particeps naturam corporis expertem cum natura corporea copulat, puram cum impura, diuinam cum terrena. Idoneo igitur vinculo, & amico nexu conciliauit simul summus rerum opifex animum, & corpus quando hominem de limo terræ formauit.

Constat limus ex humido ex sicco simul iunctis. illud

illud in ſe ipſo conſiſtere non poteſt, continente indiget, hoc ſtabile in ſe ipſo eſt, & fixum proprio enim termino clauditur, difficulter vero alieno accommodari poteſt. Hæc duo ſimul miſcuit Deus, ne homo durus, & pertinax, & immobilis eſſet, ne fluxibilis ſicut aqua, inſtabilis, & leui ex cauſa mobilis, ſed vt temperatam naturam poſſideret.

In hoc figurato limo, inſufflauit Deus ſpiraculum vitæ, ſcilicet animam, quæ ſpiritus tenuis eſt, quæ ſpiritibus vitalibus animalibus in corpore conſeruatur; quæ vt nobis tribuat vitam, ſpiritu, & ſpiratione indiget, quæ eſt actus corporis phyſici organici potentia vitam habentis, per quam viuimus, intelligimus, & mouemur; quæ viuentibus eſt eſſe, quæ extrinſecus ad corpus accedit, quæ eſt numerus ſeipſũ mouens, quæ ſimplex ſubſtantia eſt, & intellectualis à Deo ex nihilo creata, & in organicum corpus infuſa in ipſo creationis momento, ad imaginem Dei facta, & procreata ad æternam beatitudinem.

Ariſtot. de anima 2. tex. 4. 1. de gener. anim. 3. Plato in Timęo de legibus 10. Theologi omnes.

Vniuit Deus hanc animam, hoc ſpiraculum vitæ huic limo terræ duplici de cauſa, vt homo ſui ipſius cognoſceret præſtantiam in animam oculos mentis conijciendo, vt intelligeret ſuam miſeriam, & ignobilitatem dum limum terrę de quo ſumptus eſt, conſpiceret, vt conſiderata forma non vileſceret propter materiam, vt ſpectata materia non ſuperbiret propter formam, & vt demum ſe cognoſceret magnum, & paruum quid. Magnum, quia ad imaginem Dei, & ſimilitudinem conditus, paruum, quia limus, & humus. Quamquam futurum erat humanum genus

cum

cum hoc limo perpetuo fęlix, nullaq. vnquam sollicitudine præssum, nisi primus parens cladibus, laboribus, ærumnis, calamitatibus, quibus quotidie excruciamur; vltro se, & posteritatem omnem scelere subiecisset, ex illo subinde effectum est (proh dolor) vt nepotes in profundum malorum, & iniquitatem deuenerint, adeo, vt pro scelerum expiatione vindicem Dei manum sæpe sæpius sibi concilient. sic vitium deprimit hominem, & malitia præcipitem dat, econtra virtus extollit, probitasq. ad altiora perducit.

Ex hac ita in vniuersum hominis enarrata præstantia, Auditores, qui sit corporeus paradisus cognoscere sanè possumus. Non de illo Paradiso loquor, quem amœnitatis locum,& omnium deliciarum plenum esse dicunt, in quo Deus posuit hominem, vt operaretur, quem situm in Orientali plaga cogitant sacrarum litterarum interpretes. Non de illo quem Empyreum vocant, & sedem beatorum credimus: sed de hoc humano corpore, quod quocumque amęnissimo viridario pretiosius est, & quocumque deliciarum horto deliciosius. Homo vnanimi omnium consensu est paruus mũdus, ergo & paruus paradisus. Quicquid enim admiratione dignum, & veneratione Deus procreauit, veluti quodam admirabili compendio in homine complexus est, quare consequitur in homine paradisum illum corporeum cõtineri, quem Deus fabricauit, vt in terris perpetuis delicijs homo frueretur. Paradisus ergo homo iure dici potest. eoq. magis, quo forma corporis digna erit imperio, quo pulchrior hominis aspectus. quo vt procerior stru-

ctura corporis omnibus absoluta numeris, ac omnibus suis partibus constans. Quis enim oculus adeo tristis est, adeo flebilis, quin ad pulcherrimi hominis conspectum totus hilarescat, rideatque? Romulum Paradisum omnes cognouimus, nemo nostrum, qui illius familiaritate vsus non sit. Veientum princeps vrbs, cuius agros Cremora flumen abluit, hominem peperit, Roma enutriuit; ac demum sinu excepit in ipso ætatis flore, dum aliquam præmiorum spem conceperat, dum amici sperabant fore nè incassi illius labores essent, neque diu irremunerati iacerent, dum de illius cōmodis cogitabat Illustriss. & Reuerendiss. Princeps Cardinalis Rupertus Vbaldinus, cui à scribendis epistolis spectata fide, ac diligentia deseruiuit. Miramini auditores? Crudelis, parentem, ac primum sui conditorem peremit. hunc suum exornatorem oblongæ, illustris tamen, ac liberalis seruitutis prҿmio & beneficijs fraudauit, & absque vlla literariorum laborum recognitione humauit.

Ab hoc vno, quod reliquum est, discite, Aulici, quҿso. Sed quo me duxit mҿror animi, iustusq. dolor? Ad rem nostram igitur. Omnes, inquam, Romulum Paradisum cognouimus. quo quidem in aula, date veniam, oro, nemo pulchrior, nemo formosior. Corporis structura procera adeo, vt omnes instar Palantis supereminerer. membra omnia admirabili quadā proportione simul coibant. nihil dissonum, nihil discorde in ipso intuebamur. In vultus iucunditate Augustum referebat. in superciliorum grauitate Vlissem præmonstrabat. in frontis legitima latitudine Platonem

nem designabat, in oris elegantia præclarissimum ingenium, & elegantissimas disciplinas, in quibus eruditus erat, manifestabat. Nasus adeo toti faciei respõdebat, vt illum omnium formosissimum redderet. venerabilis Paradisi nostri aspectus Hectoris vultum, & animum referebat insignem, clementem, dignum, non iactatorem, amicum, liberalem, magnanimum, virilem. Non inepte comatus erat suauissimus amicus noster, alebat comam, vt pulchritudinem suam decentiorem efficeret, in qua Scipionis quandam delineabat imaginem, edoctus Silij Italici carmine:

Martia frons, facilesq. comæ nec pone retroq.
Cæsaries breuior.

Nunquam tamen in annulos efformauit, ne comatulus videretur, non verbosus, non multi risus. eloquens tamen, & fortis, cuius rei iudicium & argumentũ vox grauis, & sonora; blandula tamen, nam sicuti Priami formam habebat, & quidem imperio digna, ita iocundus, hilaris, prudens, & moribus veluti Priamus ornatus erat. Et si aliquando iusta animi ira ardebat, adeo claram vocem emittebat, vt mihi alter Aiax in hostes atrox videretur. Turpia enim aborrebat, & eorum factores longe à se propulsabat, oculos habebat cęteris partibus respondentes, non paruos, non magnos, sed medios inter vtrumque blandos, & gratiosos adeo, vt in sui amorem, & venerationem omnes alliceret, & raperet.

Incessus grauis, gestus, suauis, totius corporis motus armonicus. Excogitate, quæso, Paradisi corpus, & bene concordatæ, & dulcisonantis Cytharæ supercęlestis

modulatio animos mulcebit profectò. Quis ergo negabit hominem Paradiſum eſſe. Cum in noſtro Paradiſo componendo ſic natura elaborauerit, vt non ſolum cognomine, verum etiam re ipſa Paradiſum nobis dederit, in quo, vt audiuiſtis, omnes ſuas collocauit delicias, in quo feſſa recreabatur, vt alterius Paradiſi componendi exemplum caperet, ſed effera mors Paradiſum populata eſt, depaſta eſt; naturæ delicias deuaſtauit, lucem Aulæ in tenebras conuertit, diem noſtrum in obſcuriſſimam noctem commutauit, gaudia amicorum in perpetuos luctus tranſtulit, & ſingulari ornamento Romam immaniſſime expoliauit.

Doleo, Auditores, veſtras vices. Comprimite fletum, abſtergite lacrymas, oro. Quod ſuum erat, videlicet corporeum Paradiſum excepit humus. Maiorem iacturam fecimus. Spiritalem Paradiſum amiſimus, cælum eripuit. Tantiſnè cæleſtibus animis irę? Attendite, viri humaniſſimi. Omnes homines, quis ſtudent præſtare cæteris animantibus ſumma ope niti decet, ne vita ſilentio tranſigant, veluti pecora, quæ natura prona atq. ventri obedientia finxit. Sed omnis noſtra vis in animo, & corpore ſita eſt. Animi imperio corporis ſeruitio magis vtimur, alterum nobis cum dijs, alterum cum belluis commune eſt, quo mihi rectius eſſe videtur ingenij, quàm virium opibus gloriam quærere. Et quoniam vita ipſa, qua fruimur breuis eſt; memoriam noſtri quam maxime longam efficere. Nam diuitiarum & formæ gloria fluxa, atque flagilis eſt; virtus clara æternaq. habetur, primum certè ſtudium à tenera ætate generoſi ho-

Saluſt. in Catilinam.

ſi hominis eſſe debet, vt virtute excellat non vna, ſed omnibus quantum fieri poteſt. Hoc ſentientes Paradiſi deſideratiſſimi parētes optimi adeo chariſſimum filium in ipſa infantia educarunt, adeò ſanctè in Chriſtianis diſciplinis erudiendum curarunt, vt naturalem facundiam, ac politam, & elegantem eloquentiam vnà cum integra ac virili voce, optimiſq. moribus induerit, & ab optimis pedagogis ebiberit, & in venas & ſanguinem tranſmiſerit non vi, ſed iocoſa conuerſatione, & quotidiana exercitatione, nam in moribus, & præceptis id ipſum contingit, quod cibis accidere experientia docet. Humana quidem natura non ſeueriori diſciplina inſtituitur inſtar equorũ, ſed puerilibus gaudet blandimentis, & iucunda quadam ſine duritie inſtitutione. Nam pueri quod formidine commota audiunt id pænitus abhorrent, & eo alienantur prorſus per omnem vitam. Dulcedine igitur capti infantes, & pueri omnia retinent, & præſertim ſi quotidiana exercitatione, & vſu in omnibus diſciplinis verbo, & exemplo inſtituantur, mores enim cum ętate coaleſcunt, & qui puerum vitulum ſubſtulit, vir factus tollet taurum, vt Milo Crotoniates luſu puerili demonſtrauit. hi ſumus, qui enutrimur, hi ſumus, qui in ratione animi, & ingenij inſtituimur. Cum lacte fides ſugenda, à turpiloquijs remouendus puer: corrũpunt bonos mores colloquia mala: & ab infantia præclarum nomen quærendum, comparanda virtutibus honeſta fama. Quam Paradiſus noſter infantulus in Chriſtiana diſciplina profecerit, quam declinauerit turpia, quàm honeſtis præceptoribus vſus Paul. Ephæſ. 5. Coloſ. 3.

ſit

ſit adoleſcentia oſtendit. Intellexit quippè Romulus noſter adoleſcentiæ partes eſſe ſenes revereri, ex his optimos, probatiſſimoſq. eligere, quorum conſilio, & auctoritate ſemper nitendum, eo ſtudium dirigere, vt reipublicæ quàm plurimum prodeſſe, & animæ ſalutem adipiſci queat. Horum prudentia ineuntem adoleſcentiam edocuit, conſtituit, rexit, moderatus eſt. libidines refrenauit, in labore, & patientia animi, & corporis. hanc ætatem adeò exercuit, vt cura & induſtria plus quàm humana omnia officiorum iura compleuerit. Abſtinuit quidem Bacco, & Venere, & animum propter naturæ recreationem relaxauit, adeò iucunditati ſtuduit, vt ne quid intemperatum commiſerit verecundiæ recordatus, & ita in adoleſcentia ſe geſſit, vt è cælo dimiſſus crederetur, vt amicos, & rempublicam conſilio, & prudentia maxime iuuaret. Proinde omnem inſcitiam phyloſophicis veſtigijs, ac politioribus literarum ſtudijs fugauit ſuapte natura ductus ad cognitionem veri, & ita mētem diuinis ſplēdoribus perfuſam ad honeſti rectiq. amorem accommodauit, vt voluerit potius fructibus enutriri, quàm florum amenitate conſpergi. Oſtendit tam bene actæ adoleſcentiæ ſubſequens iuuentus, in qua florentis ætatis temeritas fuit prudentia ſenectutis. nec mirandum, quoniam pueritiam in bonis artibus inſtruxit, adoleſcentiam veris ſalubribuſq. præceptis erudiuit; Deum reuereri, & Ieſum Chriſtum ſeruatorem ſummo ſtudio ex animo perdidicit, cognouerat enim omnia ſcire qui Chriſtum cognoſcit, ignorare omnia qui Chriſtum neſcit, ſolus Ieſus Chriſtus

dat

dat abunde prudentiam, & ſapientiam, neque improperat. Atq. ideo Romulum Paradiſum vidimus iuniorem ſuper ſenes intẽdiſſe moribus dies antiquorum, meritis præueniſſe tempora, & quod defuit ętati, virtutibus compenſaſſe. Proinde ætas non diſtinguit iuuenem à ſene, ſed mores, non diſtant puer, & moribus puerilibus, ſenex, & moribus ſenilibus. præditus quam ſæpiſſime adoleſcens Paradiſus virtute, & moribus prudentiam ſenum ſuperauit. Hinc magnum gaudium non expectauit, vt ad Lucillum ſcripſerat Seneca, ſed excepit, quum puerilem animum depoſuit: Seq. in virum philoſophiæ deſcripſit, maiores natu ſemper reueritus eſt, & cum obſequio ſubiectione, & obedientia ſobrietatem, & morum perfectionem, quę ſenum munera ſunt, & ſuauiſſimo nexu coniunxit. Nam quemadmodum fructus arbos non profert quin prius flores dederit, ita ſenectus legitimos honores nũquam adipiſci poteſt quin adoleſcentia, & iuuentus diſciplinarum cognitione elaboratæ fuerint.

Iacob. 1.

Dinus Bern. ad Theobal.

Epiſt. 16

Cypria. lib. 12. de abuſionibus.

Romule mi, Paradiſe mi, & quos honores non meruiſti? & ad quas dignitates iter tibi non paraſti? Studia tua, vigiliæ tuæ, poematia tua, Meſentius poema Heroicum, carmine Hetruſco confectum, reliqua latino decantata verſu, ſupra viginti mille Italico ſermone conſcriptæ omnium generum epiſtolę, eruditiſſimarum ſententiarum plenæ, quarum refertas arcas reliquiſti; tot teſtes ſunt meritorum tuorum. Multa quidem tibi debebantur, ſed quam recepiſti mercedem? Maximam amicorum tuorum acerbiſſimas lacry-

crymas, & optimorum omnium communem luctum; & tuæ ſortis non aſpernandam commiſerationem. Mortuus verecundia afficeris, quaſi erubeſcas audire ab amico tuis ſuauiſsimis doctiſsimisq. colloquijs orbato veram laudationum tuarum enarrationem. Verecundaris? quid? Auditores, adeo verecundia virtus propria fuit Paradiſi adoleſcentis, vt eam neque in morte depoſuerit. Hac vera & minime dubia bonæ

D.Bernar. ad Eugen. Papã. ſpei nuncia, & bonæ indolis pueritiam inſtituit; hac pulcherrima, & ſplendidiſsima gemma morum adoleſcentiam exornauit. Hac virga diſciplinæ expugnatrice malorum, propugnatrice puritatis innatæ iuuentutem cuſtodiuit. Hac ſpeciali gloria conſcientiæ optimæ, famę cuſtode, ſede veritatis, hac naturæ laude, hac ſorore continentiæ, his denique virtutum primitijs, hoc vitæ decore, ac totius honeſtatis inſigne omnem reliquam vitam, & mortem ipſam cohoneſtauit. Et ideo cum non indignam tranſegerit ætatem huius vitæ exitus omnes mærore conficit, & lacrymarum imbres ex omnium oculis educit, & quoniam omnem ſuperiorem ætatem honeſtiſſime traduxit, in ipſa parentatione vberrimos fructus capit auctoritatis.

Reuocemus, quæſo greſſus. Ne Romuli viri dignitatem ſuis laudationibus fraudare videamur. Audiſtis, qui Romulus adoleſcens, qui Romulus iuuenis: dicendum profectò eſt qui vir Romulus fuerit.

Perpendite, quæſo. Duplicem viri conditionem eſſe neminem veſtrum ignorare puto, Eccleſiaſticam ſcilicet, & prophanam. Sacri enim viri alijſq. exemplo

plo

plo esse debent seduloq. studeant oportet eos vbique exprimere mores, quorum imitatione prophani in viam virtutis euocentur, vt meliores euadant, & prauos mores emendent nequissimi homines; qui excogitantes sacros homines Angelos esse, vt quidem esse deberent, vbi vident festucam in oculo sacerdotis, trabem videre somniant, & maledictis totum sacrum ordinem deturbant. Nec iniuria aliquando, nullum enim malum quod à capite non descendat in corporis membra. nullum in Republica malũ, quod vt plurimũ à magistratu initium aliquod non capiat. & propterea si minus omnem virtutem exprimant saltem adumbrent, scandalaq. effugiant iuxtà illud, si non caste, saltem cautè. Meminerint oporteret sacrificulos existere in Christo, in gratia Dei, & in mutua proximi delectatione. quæ etiam malefacta in optimam interpretatur partem, sacerdotes percutientibus maxillam alteram porigant opus est. Illi enim optimi sacri viri existimãdi sunt, qui ab ineunte ætate populos in sanctis exemplis,& in sana doctrina erudire didicerunt, & sibi, & populis, & toti Christiano orbi emolumento sunt,& ornamento. quique per omne vitæ institutum assuetam retinẽt pietatem, & sine omni molestia cum laude, & honore, & vtilitate populum habent ad bene agẽdum paratissimum obsequentem, ad domestica negocia peragenda accõmodatum, virtutibus obnoxium, à vitijs alienum, onera paupertatis non iniquo animo ferentem, non superbum, & S. R. E. audientem. Hinc hæreses discinduntur, schismata euanescunt, impij conticescunt,

& dentibus fremunt, & contabeſcunt. deniq. inex-plicabili vinculo in Eccleſiæ Dei omnia ſimul con-iungũtur. Contrà mores prophani ſicut Eccleſiaſtici conquieſcunt, faciles, & plani ſunt, ita ipſi perpetuo motu agitantur, incerti inſtabiles nunquam in eo-dem ſtatu permanentes, ac veluti mare diſpumans varijs affectionum ventis, ac multiplici perturbatio-num impetu huc illuc circunferuntur. In ſæculo tot capita, tot ſententiæ. varij prophanorum ſtatus, va-rij quoque mores, atq. cuiuſq. vitæ generi correſpon-dentes. alij ſedulitate laborandi expediti, haud du-bie neceſſaria alimenta, & vitæ ſubſidia quærunt, corpore valido, ac robuſto, alij arma tractant duri, & aſperi, & aliena cupientes, alij benigno animo in perpetua tranquillitate paucis contenti vitam tradu-cunt. alij litigijs gaudent, & forenſi ſtrepitu. propha-ni corpori conſeruando ſtudent, Eccleſiaſtici animo-rum tranquillitatem quærunt, & beatitudinem. Re-ligioſus animi bona curat, prophanus corporis com-moda proſpicit. Religioſus rerum diuinarum, & hu-manarum cæteros antecellat oportet. prophanus in actione prudentiam coniungat, vterque pro reipubli-cæ commodo euigilet, vt iuſtitiam colat: conſilio re-ligioſus, viribus corporis præſtet prophanus. vterque fortitudini operam det. Ardua ferat ille, difficilli-ma agat hic. Turpè vterque caueat, vterq. mortem contemnat, & dolores. Hæc fortitudinis munera duo maxima ſunt. Quæ omnia ita in Romulo Paradiſio floruerunt, vt quæ in cæteris diſonantia videntur, in hoc vno ita arcta neceſſitudine iuncta erant, vt

con-

concors diſcordia morum dulciſſimam efficeret armoniam. Adeo igitur vir erat, vt totus poſitus erat in eo, vt ſibi primum imperaret à Boetio edoctus. Lib.3.Met.5

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces,
Hæc victa libidine colla
Fædis ſubmittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua iura tremiſcat,
Et ſeruiat vltima Thule,
Tamen atras pellere curas
Miſeraſq. fugare quærelas
Non poſſe patientia non eſt.

Hanc ita coluit virtutem, vt vtriuſque legalis philoſophiæ laurea donatus, virilemq. togam indutus nullam aliam laudem, nullam aliam gloriam quæſierit, nec ſibi comparandam propoſuerit, niſi facta fortiorum emulari, & ex animo Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri imitari patientiam, & in aduerſis tollerantiam. Quid enim Iulium Cæſarem ad ampliſſima facinora peragēda commouit? Iuuenis Alexandri Magni ſtrenuè bella gerentis in templo Veneris propoſita imago, & contemplata. Quid Stephanum, Petrum, Paulum, Andream, & reliquos Apoſtolos fortiores, & cōſtantiores in ſuſcipiendo martirio effecit? Magiſtri Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti certiſſimum exemplum. Quid cæteros Martyres commonuit, vt gaudentes vulnera exciperent, vt non ſic ad thalamum nupta properat, ad ſupplicij locum lætæ ſucceſſu, gra-

du festinæ sanctæ virgines procederent, concitauit? Sanctorum virorum, qui contempta tyrannorum immanitate, & spiculatorum sæuitia nihili facientes stolas in sanguine agni lauerũt, & mortalem vitam cum immortali gloria commutarunt, excogitata exempla. Et quamquam Paradisus noster non egeret exemplis, vt naturam vinceret, cum ab ipsa natura optime instructus ad meliora proiectis peioribus duceretur, tamen diu noctuq. optimorum doctorum scripta reuoluebat, vt quicquid optimi, vnde quis nomen optimũ adeptus esset, cognosceret, & imitatione dignum, in sui naturam transfunderet. Paradisus igitur non otiosus, in delicijs non superuacaneus, languore diffidiaq. animum ad astra contendentem infecit nunquam. & solum id, quod viriliter magnoq. animo fit, se viro dignum, & decorum esse putauit. Ita omnem dolorem euinxit, omnem fortunam superauit. Quamobrem quod Horatius Delium commonuit, sedulò quidem Paradisus noster in toto vitæ cursu seruauit, scilicet in aduersis æquam, in secundis temperatam mentem.

Cicero Tuscul. 2.

Carminum 2 Ode 3.

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem: non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia moriture Deli.

Malos non formidauit, his non cessit. Incommodis non succubuit, accidentia generosè tulit, eneruem nõ habuit animum, quem virtus odisse consueuit. Et quoniam intelligebat se natum vt Rempublicam, patriam, amicos, consanguineos, necessarios, domum, familiam, quæ in Castellana ciuitate nobilissima, ac

Menander.

vetu-

vetustissima est, & inter Veientes primas tenet, ac denique se ipsum defenderet ab omni externa, & hostili vi honestissimis exercitationibus deditus, & grauioribus literarum studijs otia fugit, balnea, mollia strata, vina, & Venerem. Hei mihi? Euitauit hæc omnia quæ ad infernas sedes iter accelerare solent, tamen annum vix quadragesimum secundum natus naturæ debitum soluit, animumq. omnibus virtutibus expolitum Deo factori reddidit. Raptus fuit, ne à malitia raperetur, & consummatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim Deo erat anima illius: propter quod properauit educere illum de medio iniquitatũ, quibus affluit hæc cænosa tempestas, in qua nullus datur locus virtuti. Omnes laudis, & gloriæ cupidi, ingratissimi omnes. Quid inquam? non mortuus est Paradisus noster, in refrigerio est. Senectus enim venerabilis est non diuturna nec annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Cur translatus est Paradisus noster? Ne placens Deo factus viueret inter peccatores.

Sap. 4.

Sap. 4.

Quod Deo placeret quis ambiget? Romulus quidem erat. quod otiosus nunquam, partes vestræ Romani proceres fortia agere, & pati, sub quorum pedibus Deus omnia subiecit, & gloria, & honore vos coronauit, vosq. constituit super omnia opera manuum suarum. Dedit vobis iudicandi potestatem, vt dij sitis, & filij excelsi omnes, & dij fortes terræ vehementer. Paradisus erat, vt audistis, corporeus, & spiritalis, ideò charus Deo, & à cælicolis, vt eius per-

Cardinaliũ Partes, & dignitas.

Psal. 8.

Psal. 81.

Psal. 46.

petua familiaritate fruantur, nobis omnibus ereptus. Cur? Quoniã Heroes, quod eſt tertiũ quoddã diuorũ genus, raro, aut nunquã in terris cum hominibus cõuerſantur. boni ſicuti fugiẽs flamma inter nubes corruſcant, & veluti vernæ corruſcationes in ſereno cælo pertranſeunt, ac eo, vnde effluxerunt, reuocantur. Homines enim doctos ipſos fideles, prouidos, ſagaces, acutos, multiplices, memores, plenos rationis, & conſilij à Dijs mortale appoſitum ſolum diſiungit.

Talis erat equidem Paradiſus, qui veluti Deus amicis, & bonis omnibus erat. Talis tantaq. ergo erat in viro maieſtas, & virtus iuuandi ſe, ſuoſq. vt talem commẽdationem iure ſibi debitam mereretur. Tantæ itaq. viri maieſtati non ſine cauſa tot tantaq. dona, tùm naturalia, cum ſupernaturalia iure quidem debebantur. Quod in omnibus geſtis viuens manifeſtauit. Munditiam non odioſam adhibuit, nec nimis exquiſitam, non inhumanam, & agreſtem negligentiam fugit. Veſtitus rationem habuit, in quo mediocritatem ſeruauit. nec fines ſuæ vitæ tranſiliuit non mollioribus tarditatitibus in geſtu vtebatur, non nimias celeritates in feſtinationibus ſuſcipiebat. armonicum corporis motum componebat, ita vt in ipſis deambulationibus omnes delectaret, & honeſtis corporis exercitationibus delectaretur. In eo præſertim elaborabat, nè animi motus à natura recederent. Ipſa enim natura huius viri formam mira quadam pulchritudine decorauit. Quapropter ſeipsũ in ſpeculo crebro contẽplabatur, vt qui pulchritudine excellens ſibi placeret, ſtudiosè procura-

Socrates ex Apuleio.

cura-

curaret ne dignitatem corporis malis moribus dehonestaret. quod etiam faciant oportet qui verò minus se forma commendabiles cernunt vt virtutis laude turpitudinem regant, vt audiant Diogenem dicentem, ò quam mala domus, & bonus hospes. malum hospitem in bona domo excipiunt, qui pulchra facie sunt, & moribus inhonestis. Paradisus ideo noster, & pulcherrimam domum habuit, & non solum bonum hospitem, sed plurimos optimos hospites. nam in eum non solum corporeæ dotes, verum etiam confluxerunt veluti in suum Paradisum virtutes omnes. Multis formę pulchra maiestas conciliatrix regiæ coronæ fuit. multis morum probitas causa regni & amplissimarum fortunarum. Quod ergo regnum Romulo Paradiso debebatur, in quo & exquisitam corporis formam, & admirabilem morum probitatem, & non vulgarem disciplinarum omnium eruditionem elegantissimo vinculo natura, & Deus vnanimes coniunxerunt? Terrenum. parum: fortasse consequutus esset, nisi inuidens fortuna vitam denegasset. Cæleste. Rectè quidem. Assequutus est, & amplissimas illas immarcescibilis gloriæ diuitias, & opes, quas bene agendo comparauit, possidet. & pro infula purpurea coronam stellarum adeptus est. Ipse enim modo illo potitur Paradiso, cuius imaginis nos iacturam fecimus. Nam quemadmodum Empireum cælum clarissima beatorum sedes est, cuius lucerna est Agnus, ita Paradisus vt virtutum omnium iubar virtutum omnium fulgentissimum erat tabernaculum. quoniam anima illius templum Dei erat. Ex

Apocalip.

ore pendete? quid? dubitatis ne Romulus fuerit ille corporeus, & ſpiritalis Paradiſus, quem ampliſſima oratione eſſe comprobauimus? Cælum rationale eſt homo. Anima iuſti ſedes eſt ſapiētiæ, ergo Dei. Sublimitas enim vitæ eſt in cauſa, quod cælorum ciues ſan-

Diuus Bonauentura. ctorū nomēclaturam habeant. Quoniam bene agentis

Philip. 3. 5. hominis cōuerſatio in cælis eſt in ſeipſa cōtinens ver-

Pſal. 23. bū vitæ, quod cælos firmat. verbo Domini cęli firmati ſunt. quippe quod Deus per gratiam in homine con-

Eſai. 66. quieſcit. Vnde legimus cælum ſedes mea. Si ergo hoc cælum, hic homo eſt ſedes Dei, iure conſequitur hominem Paradiſum eſſe, atq. pulchriorem, atque ſplendidiorem, quo magis homo ſe cum Deo coniungit per ſtudioſam operationem. Ergo Paradiſus noſter erat Paradiſus, & cæteris omnibus magis Paradiſus, quo cæteros omnes fide, pietate, religione æquabat, multos modeſtia, affabilitate, vrbanitate, clementia, manſuetudine, & humanitate ſupereminebat, & inter à conſcribendis epiſtolis vir eruditiſſimus, & ingenio in vtroque eloquentiæ, & doctrinæ genere præexcellens primas tenebat virtutū omnium laudatiſſimus cumulus. O deplorandam iacturam! ò miſerrimam hominum conditionem! Iacta eſt alea. Paradiſus occubuit; Quid ſperandum? extincta aulę ſolatia. In cælum raptæ deliciæ noſtræ, abrogata lex honeſtatis, & amicitiæ. Ars appoſite, & erudite dicendi diſciſſa, norma bene. & Lacoinice conſcribendarum epiſtolarum diſcerpta. ſchola bonarum diſciplinarum clauſa. regnum virtutum omnium expugnatum, & deſolatum. Perpetuò enim in hac mortali

tali

tali vita occidit ſol noſter; Paradiſus noſter.

Hic noſter Paradiſus tanti honorem, & nominis gloriam extimabat, adeoq. honoris, & dignitatis ſuæ cuſtos erat, & amans, vt pro illius conſeruatione lubens cum morte vitam commutaſſet, totum terrarum orbem proieciſſet, vt honorem, & dignitatem retineret. mori potius volebat quam fædari. familiaris à ſecretis erat illuſtriſſimi viri Patricij Romani Petri Pauli Creſcentij, qui in albo Cardinalium deſcriptus fuit ob ſingularis animi dotes, ob eximias virtutes, & ob inſignem quandam ſui modeſtiam, qua vtrumq. Reum ſtipulandi, ſcilicet, & promittendi, cæteroſq. litigatores Cameralis Auditor in ſui conſpectu admittebat cuiq. ſuum tribuens. A ſecretis, inquam, viro principi ſeruitium præſtabat, quod deſeruientibus, & habendi cupidos maximo emolumento eſſe ſolet. Vnde non ſolum pauperiem explodit adminiſter, verum etiam collocupletare ſolet. Neſcio quid pro quodam amico lubens, vt ſui moris erat, confecerat: amicus, vt grati animi ſignum daret, & pro accepto commodo gratias referret, ac pro viribus quandam aureorum copiam, neque reijciendam quidem dono miſit. Audito nuncio veluti aquæ efferueſcunt ſubditis ignibus, efferbuit æſtu, tantaq. excanduit ira, ac in eam erupit indignationem, vt arrepto malleolo, quo epiſtolæ conſignantur, nummorum latorem aggreſſus, tu ne, in-

Card. Creſce. laudatus.

Tit. de duobus reis conſtituend.

iminente cæde fuga ſe eripuit, ſeq. per ſchalam præcipitem dans timens, ac tremens ad mittentem incolumis ſe recepit, quod ſi intellexiſſet Maro ille poetarum princeps abſtinuiſſet à ſententia:

Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Falleris ergo Properti, cum dixeris:

At nunc deſertis ceſſant ſacraria lucis.
Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulſa fides, auro venalia vota,
Aurum lex ſequitur, mox ſine lege pudor.

Miraculum, inquies, Romæ, non Romulo, cui à natura inditum erat nomen non nummos venerari, ac ſummo habere honore. Sacculus à cælo deſcendens, hoc eſt, opes, quæ ab honeſto quæſtu exoriuntur, non reſpuuntur. Aurum, quod aliunde exordium capit, quam ab honeſtis ſtudijs ſicuti lutum conculcandum, vti Romulus noſter, qui adeo liberalis ſui ipſius fuit, adeo magnanimus in eo munere à ſecretis exercendo, adeo erga omnes officiorum plenus, vt amorem totius Romæ, & procerum omnium ſibi conciliauerit.

Iuuen. ſat. 2.

Longè præclariora geſſit Paradiſus noſter, vt ab omni vulgari conuitio, & ab omni auaritiæ ſorde ſe abſentem faceret. Perquirite, obſecro, à Gabriele Banchetto viro Florentino, quem annos ferè viginti in Pocillatorem Creſcentius adhibuit, qui vnà cum Romulo plus decennio in vtraque fortuna ſub ijſdem auſpicijs ita vixit, vt morum probitate, & rerum aulicarum notitia, coniunctiſsima hominis neceſſitudi-

tudine dignus habitus fuerit. Quid multis? communem mensam habuerunt, communes animi sensus, omnia communia. Quamobrem quicquid vsu, & ratione cōcordia in optima amicitia excogitari potest, cū Romulo & Gabriele sāctissime intercessit, ac ita in his duobus effloruit, vt alter Lelium, alter Scipionem referret. Quamuis Paradisus Cardini viri elegantissimi animum sibi deuinctum studiosissima consuetudine teneret, ita vt à Cardino veluti frater maior natu vnicè diligeretur veritate amicitiam, fide societatem, mutua pietate obsequia mirifice colendo. Discessit Paradisus à Crescentio Principe. Discessit & Banchettus. causa profectionis eadem: Perquirite, inquam, ab huiusmodi cordatissimo viro, & cognoscetis Romulum multa profectò perpetrasse, admiratione potiùs digna, quàm imitatione, quæ si dicere constituerem, in multam diem nostra oratio duceretur. Crescentium Cardinalem sequutus biennio in officio permansit. à Crescentio iusta de causa ad Illustrissimum ac Reuerendiss. Principem Cardinalem Caponium Bononiæ Legatum migrauit. apud quem tanta cum laude quinquennium consumpsit, vt existimatione magna fuerit, tantaq. dignatione habitus, vt pro dignitate ne laudare quisquam eum satis commodè possit. Etenim ad componendas epistolas non oculos, & manum, sed animum intende-

xit ad procerum famam Romuli Paradisi studiosus labor, illiusq. vitæ ratio dimanauit ad existimationem hominum, quam quidem existimationem multo sudore, labore, & vigilijs collegit; ac ideò cum bonis omnibus summam iniuit gratiam. Ab Illustriss. Cardinali Caponio principe singulari pudore, virtute cognita, spectata fide, sua sponte moderato, & maiorum institutis optimis obtemperante virtute, fortuna, rebus, in Bononiensi legatione gloriosissimè gestis amplissimo, atq. cum paucis gratia doctrinis, & rerum gestarum cognitione comparando, ad amplissimum Principem Rupertum Cardinalem Vbaldinum Caponio iubente se recepit, à quo, vt mirum in modum desideratus, humanissimè tractatus fuit.Ità decebat Cardinalem in primis domi suæ summo loco natum, cuius nobilitatis memoria ex annalium vetustate eruenda est, quem generis sui authores nobilitati ipsi commendant, gratia, & hospicijs florentem hominum nobilissimorum, qui eodem fauore, & auctoritate, & fortasse maiori, qua adeptus est, gerit Cardinalatum, cuius prudētia cuiusquam præcepta non desiderat. in grauioribus disciplinis eruditus vtilia honestis miscet. Plurimum enim illi acquirit venerationis, & dignitatis forma, cui non minus est authoritatis; quàm gratiæ: Animo enim est validus, & corpore constans nulla parte corporis inter se non congruente. Fœdere igitur cum virtutibus omnibus inito quantum auctoritate, dignitate, & gratia in Gallica legatione polluerit, ex eo liquet, quod collabentem apud Gallos Summi Pontificis

Card. Caponius laudatur

Card. Vbaldinus laudatur.

ficis

ficis poteſtatem ſubleuauerit,& rei Eccleſiaſticę adeò præſto fuit,vt illam per totam prouinciam conſilio,& authoritate, gratia, & fauore in integrum reſtituerit. Debebatur igitur ſereniſsimo Cardinali viro ſuopte ingenio temperato, vini natura parciſſimo, & quantum à rerum turpitudine abeſt, tantum à verborum libertate ſeiuncto, & artibus honeſtis pudorem, & inter certamina vitiorum pudicitiam, & modeſtiam retinenti is familiaris à ſecretis, quem Romulum Paradiſum fuiſſe pro certo habetis. Auditores humaniſſimi, dolore conficitur munificentiſſimus, ac beneficentiſſimus Princeps non quod Romulus Paradiſus naturam expleuerit ſatietate viuendi. ſed quod abſceſſerit incepto irrito,quod tanti viri virtutibus,quæ in animo conſtituerat præmia veræ virtutis precium non ſoluerit. cum intelligat ſummam eſſe laudem in collocato beneficio apud gratos,enim bonis quod benefit, haud perit. Libenter, auditores, in laudum Paradiſi veſtigijs inſiſterem. ſed triſtis caſus vocem meam fletu debilitauit, & mentem dolore impleuit, quem lacrymis teſtor, & perpetuò teſtabor.

Heù Paradiſe mi, amor, & deliciæ generis humani, quomodo gaudia noſtra parua commutauit aura? Tot ſpes, tot gaudia dies vnus in aduerſa conuertit. Quam citò omnia ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymas reciderunt? quod ergo reliquum vitæ

redundant ex hoc fonte dolores. Velas igitur, & remos cohibeamus. Vlterius progredi non fert animus. benè actæ vitæ fæliciſſimus exitus reſpondit, ſacris refectus alimonijs ſanctiſſimiſq. Eccleſiæ ſacramentis armatus in illo formidoloſo certamine acerrimos hoſtes profligauit, victor profectus eſt ad rerum omnium creatorem, translatus ex hac mortali luce ad illam, quæ nullis ab initio finibus intercluditur. Quod reliquum eſt vos dicite, quibus flumen ingenij vberrimum eſt. qui tantam mæroris, cauſam, & nunquam expectatam, & diligentia conſequi poteſtis, & memoria complecti, & oratione exponere, & voce, & viribus ſuſtinere.

Contingit enim mihi veluti illi, qui mare totum ſe bibiturum pactus vitam pro pignore obtulerat, cũ vero dies pacta hominem interpellaſſet, conueniunt omnes, vaſa aſportantur, dolia parantur, vtres adducuntur. Multi accurrunt ſpectaturi. mirantur omnes hominem faucibus maris aquas exhauſturum. Acceſſit qui pactionem fecerat. Pendent oculis, & ore omnes. Interea mare bibiturus cum altero pacti auctore ſic loqui exorſus eſt. Ego quidem mare potaturum promiſi, non fluuios. Tu flumina ſuſtine ne in mare influant: Ipſe me tibi totius Oceani potatorem fore ſpondeo, atque promitto.

Ego eodem planè modo vaſtiſſimum laudum Paradiſi pelagus deglutire decreueram, non fluuios, non amnes qui in hunc Paradiſum influunt, & ex hoc Paradiſo effluunt. Suſtinete vos, Auditores, flumina, & partes, quæ in hunc duplicem Paradiſum corpo-
reum,

reum, & ſpiritalem, quibus conſtabat Paradiſus noſter, conueniunt, & ipſe quod reliquum eſt confectu-rum (data publice fide) lubens propono, & polliceor. Hoc vnum dicam, ignoſcite, auditores, & finem dicendi faciam, Romulum Paradiſum non ſolum nobis omnibus, ſed ſibi ipſi Paradiſum fuiſſe, & ſui ipſius Paradiſi cuſtodem euigilantiſſimum. Ferunt Deum in oſtio terreſtris Paradiſi Cherubin igneum tractantem gladium collocaſſe, vt exploſis primis parentibus illum amænitatis, & deliciarum locum cuſtodiret, atq. accedentibus ingreſſum denegaret. Profligatis vitijs omnibus tùm naturæ beneficio, atque liberalitate, tùm ſtudiorum exercitatione, quibus totus incumbebat Paradiſus; gladio igneo, hoc eſt, ſtimulo honoris, atq. inatę dignitatis animũ ab omni vitiorũ ſorde cuſtodiuit, & rectæ rationi adeo ſenſus omnes ſubegit, & irraſcibilẽ, & cõcupiſcibilem facultates ita cõpreſsit, mitigauit, & moderatus eſt, vt iram in manſuetudinem, & clementiam commutauerit, concupiſcentiam à terrenis ad cæleſtia tranſtulerit in tertium cælum raptus, hoc eſt in ipſius Dei contemplationem & ſic ſe ipſum curauit nę ſe libidinibus inquinaret, vt ne quidem in amicitiam exciperet non admodum honeſtos, quos quadam oculorum ſeueritate ita perterrebat, vt non ſolum accedere auderent, imò verò à Paradiſo noſtro auffugerent, ac ſi ab Angelo igneo gladio concuterentur. O fælicem animam,

admiratus eſt, in cęlis clarè hodierna die intuetur, & videt Paradiſus noſter, quem, faxit Deus, vt poſt longam, & fælicem in terris bene actam vitam in regno gloriæ conſpiciamus, ac vnà omnes æterno æuo fruamur. Dixi.



F I N I S.

ERRATA SIC EXPVNGITO.

tecum	*tuum.*	*pag.* 3
diurnum	*diuturnum.*	9
Et Stigius	*It Stygius*	9
Arepto	*arrepto*	10
multiq.	*multoq.*	12
verum	*virum*	15
Continentur	*continentur*	15
iniquitatem	*iniquitatum*	17
æſtate	*ætate*	30
non inhumanam	*inhumanam*	30